

I. N. J. C. C.  
DISPUTATIO METAPHYSICA

De

# PERSONA

Quam

In celeberrimâ ad Albim Universitate

## PRO LOCO

In Amplissimâ Facultate Philosophicâ

sibi benevolè concesso

publicæ placidæq; philosophantium collationi

subjicit

### PRÆSES

## M. GEORGIUS WAGNERUS,

Radebergâ Misn. Ser. Elect. Sax. Alumn.

RESPONDENTE

## DANIELE GVILIELMO MÖLLERO,

Posoniensi Pannone.

Ad d. 2. Octobr. A. O. R. LXII.

In Auditorio Majori

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogt.

~~III. 108~~

a. CXXVI. 10.

diss. A  
10

MAGNIFICO DN. RECTORI  
SPECTABILI DN. DECANO  
VENERANDO DN. SENIORI  
CÆTERISQVE

# FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

IN CELEBERR. WITTEBERG. ACADEMIA  
DNN. PROFESSORIBUS  
LONGE CELEBERRIMIS, LONGE MERITISSIMIS  
VIRIS

PLURIMUM REVERENDIS, AMPLISSIMIS  
EXCELLENTISS. CLARISSIMS.

DN. JOHANNI ERICO OSTERMANNO,

Græc. Ling. P.P. Elect. Alumn. Ephoro & Acad. h.t. RECTORI

DN. ÆGIDIO STRAUCHIO,

SS. Theol. Lic. Mathem. infer. Ordin. Histor. Extraord. PP. & p.t. DECANO

DN. REINHOLDO FRANCKENBERGERO,

Histor. P.P. Amplif. Coll. Phil. totiusq; Acad. SENIORI

DN. CHRISTOPHORO NOTTNAGELIO,

Sup. Mathem. P. P.

DN. ANDREÆ SENNERTO,

Ebr. aliarumq; Oriental. Ling. P. P.

DN. MICHAELI VVENDELERO,

SS. Theol. Doct. ejusdemq; & Moralium P.P.

DN. CHRISTIANO TRENSCHIO,

DN. CONSTANTINO ZEEBRI

SS. Theol. Licent. & Phys. P. P.

DN. GEORGIO CASPARO KIRCHNAIERO, Eloqv. P. P.

DN. OTHONI PRÆTORIO, Poet. P. P.

DNN. Promotoribus & Patronis suis summo honoris

atq; observantia cultu de venerandis, hanc Disputationem, in

animi gratia teseram cum voto omnis salutis

Offert Dicat consecrat

PRÆSES.



Incipe effice, perfice mi Jesu!

PRÆFATIO.

**M**emorabile est, quod B. Chemnitius in LL. Theol. p. m. 39. de Boethio scribit. Narrat, inquit incomparabilis ille Theologus, Boethius, se, cum lecta esset epistola Concilii Chalcedonensis, Christum esse unam personam & in illa unâ personâ duas tamen distinctas naturas, interrogasse, quid esset discriminis inter Naturam & Personam? Et omnes quidem clamasse de personâ & naturis, neminem verò potuisse assignare quid esset Persona. Et hac occasione dicit Boethius, se investigasse aliquam definitionem, quam suis verbis ita ponit lib. de duabus nat. & una pers. in Christo c. 3. Persona est natura rationalis individua substantia. Quamquam verò nos hodie, per DEI Gratiam, in Scholis sanorum Philosophorum edocti novimus, quid sit persona, quidvè discriminis inter personam & naturam intercedat: iterum tamen atq; iterum hac cognitio est confirmanda, ne ex hominis infirmitate amittamus id, quod multo labore acquisivimus antè. Cumq; doctrina de Personâ non mediocritum difficultati, tam adversariorum eandem corrumpentium perversitati subjaceat: cautè undiq; est circumspiciendum, ne aut à rerum gravitate premamur, aut ab à Φιλοσοφῶντων vafricie seducamur. Interim quò difficilius est προσωπογραφία eò tamen uberiori fructu suos beat cultores. Ejusdem ut tùm nos, tùm alii participes reddamur, faxit Unus in Essentia & Trinus in Personis clementissimus DEUS propter Christum!

I. SECTIO DOGMATICA.

PRÆCEPTA.

I. Persona est modus substantiæ singularis completæ intelligentis, substantialis, quo illa ultimatâ gaudet subsistentiâ.

Ἐκθεσις.

§. 1. Sistitur hîc quâ *Nominalis*, quâ *Realis Descriptio*. Utraq; penitus evolvenda venit.

§. 2. *Quid Nominis* si spectes, occurrit ibidem 1. *Ετυμολογία* 2. *ὀμωνυμία*. 3. *Συνωνυμία*.

§. 3. I. *Ετυμολογία* suppiditat 1. vocis derivationem 2. ejusdem impositionem.

§. 4. Quod attinet (2) *Vocis derivationem*; varii variè eandem derivant. Alii vocem personæ, uti vult Gellius l. 5. Noct. Att. c. 7. derivant, à personando, eò quod histriones olim per habitum fictum, qui vera imitaretur, & persona dicebatur, vocem suam sonare, fecerint. Vid. Thesaur. Buchn. it. Pl. Rev. D. Calov. Met. Div. part. spec. p. 78. Verùm, inter alia huic originationi repugnat quantitas penultimæ syllabæ in vocabulo *personæ*, quæ producitur, in voce autem *soni*, seu *sono*, corripitur. Alii *Personam* dictam volunt, quasi *per se unam*, quia scil. Persona nobilissimâ ratione sit per se una, dum nempe est singularis vel individua, & ita perfectissimâ subsistendi ratione gaudet. Alii, uti Scaliger l. Poet. c. 13. *Personæ natales*, non in Latio sed in Græcia quæerunt, adeoq; eandem à *περιζώννυμι* vel *περιζώνη* quasi cinctum quid, vel *περσῶμα* quasi habens aliquid circa corpus, derivant. Primitus enim persona dicebatur is, inquit Clariss. Scheibl. l. 2. Met. c. 2. n. 50. qui repræsentabat aliquem in Comœdiâ, ad quem statum cincturæ & velamina adhiberi solent. Alii ad Rabbinos abeunt & personam à פְּרָצוּרָה h. e. vultus, aspectus, persona, deducunt. Vid. Joh. Buxtorf. Lex Rab. p. 931. Nos, qui commodam hujus Latinæ dictionis derivationem deprehendere non possumus, habemus eandem pro primitivâ.

§. 5.

§. 5. Quando autem (2) primam Personæ impositionem attendimus, videtur, eandem vocem primitus indifferenter modo substantiam, modò accidens, significasse. Unde Parens Eloquentiæ Cicero, pro Sylla dicit, sibi vehementem & acram personam i.e. officium, esse impositam. Hinc & Excellentiss. Buchnerus illud Nepotis in præfatione: *summorum virorum personis*, accipit, pro *conditione & loco* summorum virorum. Contra verò Augustiss. Imperator Justinianus Instit. de Jure Personarum, vocem personæ pro *Substantia*, pro homine usurpavit. Quare ibidem Personas in homines liberos & servos divisit. Cæterum successu temporis, usus,

Quem penes est vis & norma loqvendi,

Uti Lyricus canit, hanc voculam magis ad significandam substantiam, quàm accidens inclinavit. Quo sensu & ipse Apostolus vocabulum *πρόσωπον*, Latino, Personæ æquivolens, accepit 2. Cor. I, II. Prolixius hoc persecutus est Bellarm. l. 2. de Christo c. 5.

Latini Patres, non ita multò post Apostolorum tempora usi sunt in Articulo Trinitatis vocabulo *Personæ* planè in tali significatione sicut postea Græci *ὕπωση* dixerunt, scribit Theologorum decus B. Chemnitius in LL. p. 38. Quæcunqve ergò substantia Sermonis fuit, illam *dico personam* & illi Nomen Filii vendico scribit Tertull. adv. Praxeam c. 12. citante Fonseca l. 5. c. 8. q. 5. f. 4. Quapropter moderni & Theologi & Philosophi vocem Personæ ut plurimum, pro substantia accipiunt.

§. 6. II. ὁμωνυμία τῆς Personæ evoluturi, observamus, quod Nomen Personæ sumatur (1) *Grammaticè* pro certâ inflectione verbi Grammatici. (2) *Rhetoricè* pro qualitate aut statu alicujus. Quo sensu Cicero dicit de Orat. sustineo tres personas, meam, adversarii, Judicis. (3) *Comicè* pro præsentatione alicujus hominis, ratione actionum, gestuum &c. (4) *Juridicè* & tunc *partim strictius* pro homine ipso & hominis conditione, utpote de Jure Personarum, de actione personali. Unde Joh. Calvinus in Lexico Juridico notat, vocem

Personæ esse Juris Civilis. Hinc Persona, inquit, Juridicè definitur per hominem, qui caput habet civile. Vult: ad §. 1. n. 1. Inst. de Jure Perf. Partim *latius* pro figuris eminentibus in ædificiis, è quorum rostris aquæ salire solent. Ulp. in l. fundi de act. empt. (5) Theologicè pro Divinis SS. Trinit. subsistentiis, uti S. Athanasius dictionem Personæ in suo Symbolo adhibuit; inquires: alia est Persona Patris, alia Filii, alia Sp. S. (6) *Philosophicè* atq; *Metaphysicè* & tum vel sensu *concretivo*, pro re & rei modo, pro substantia, quæ modo personali subsistentiæ limitata est: vel sensu *abstractivo*, pro rei modo, pro ipsa subsistentiâ personali seu personalitate. Harum autem acceptionum omnium, saltem ultima hujus est loci.

§. 7. Quando III. Συνομιαι vocis personæ breviter perpendimus, occurrunt tum *Ebraica* tum *Græca* tum *Latina*, tum *Germanica* vocabula, Personæ æquipollentia. (1) *Ebraei* Personam appellant פְּנִים à R. פָּנָה respexit; item פְּרָצוֹן Habent & alias appellationes, sed hæc modò adductæ, sunt frequentiores. (2) *Græci* Personam vocant (α) πρόσωπον uti & Paulus 2. Cor. 1, 11. eam hoc nomine insignivit. Suidas in dictione ἀγῶ ex Ps. 27, 8. 9. probat tria πρόσωπα. (β) Basilio & Athanasio Persona dicitur ἰδιότης proprietas. (γ) frequentius vocatur ὑπόστασις seu subsistentia: voce hæc non γενικῶς prout opponitur in hærentiæ & appropriatur substantiis, sed ειδικῶς acceptâ, prout notat perfectissimum subsistendi modum suppositis proprium. Conf. Pl. Rev. Dn. D. Scharf. Theor. Transc. p. 1114. Unde ex Thomâ, Fr. Svarez disp. 34. Met. s. 1. n. 14. p. 226. benè annotavit: licet nomen hypostasis in Græco ex proprietate sermonis, significet individuum substantiam cujuscunq; naturæ, ex usu tamen loquentium significat individuum rationalis naturæ tantum. (δ) ὑφιστάμενον etiam Persona à Græcis, vid: damasc. in dialect. c. 42. interdum nuncupatur, sæpius tamen notat *suppositum*. Et licet illa vox alicubi designet personam, significatione tamen potius *concretivâ*, quàm *abstractivâ* adhibetur. (3) Latini Personam alio nemine vocant

cant

cant (a) Hypostasim vid. Petr. Fonsec. l.c. Met. c.8 q.5. f. 4.  
it. Svarez l.c. (b) Proprietatem (scil. personalem) veluti  
Hilarius & Augustinus, teste Max Rev. Dn. D. Colov. in Met.  
div. part. spe. 79. (c) Suppositum intelligens. (d) Modum  
personal m (e) Personalitatem. (f) Subsistentiam persona-  
lem. (4) Germani Personæ vocem parum inflectentes, ejus-  
modi suppositum intelligens, vocant eine Person. Usur-  
pant autem eandem vel pro accidente aliquo, et tan seine Per-  
son wohl präsentiren. vel pro substantia & quidem ut pluri-  
mum: Ich für meine Person Opitius in Poemat. p.252: Die-  
ses ist vor zwey Personen: U. s. f.

§. 8. Hactenus descriptio *ὀνοματώδης*: succedit *πρᾶγ-  
ματώδης* quæ absolvitur partim *Conceptu latiori*: partim *con-  
ceptu strictiori*.

§. 9. *Conceptus* latior his continetur verbis: *est modus  
substantiæ singularis completæ intelligentis substantialis*. Singu-  
la verba merentur evolutionem.

§. 10. (1) *Modus*, qui alias juxta Scholasticos est forma-  
litas, seu realitas formalis Conf. Dn. D. Calov, Met. D. part.  
Gen. p. 210. hoc loco non sumitur (a) *Notionaliter*, eo signi-  
ficatu, quo *νοήματα, ἰδέματα, γράμματα* alio atque alio exhi-  
beri dicuntur modo. Neq; (β) *predicamentaliter* pro omni  
eo, quod est in prædicamento Qualitatis: & quo sensu omnis  
Qualitas solet modus substantiæ appellari, juxta Thom. 1, 2.  
q. 49. a. 2. Neq; (γ) *pro differentiâ specifica*, Genus quasi  
modificante, uti rationale dici potest modus animalis, fateñ-  
te Svarez. Disp. 7. Met. s. i. n. 17. Neq; (δ) *pro ratione forma-  
li*, in modum differentiæ contrahente. Neq; (ε) *pro modo  
afficiente & denominante*: quemadmodum affectiones mo-  
di appellantur. Neq; (ζ) *pro determinato rei statu, condi-  
tione aut gradu*, veluti est modus considerandi objecta: ve-  
luti Elementa certo modo dicuntur mista. Sed (η) *pro ulti-  
mato subsistendi modo*, qui substantiam in esse suo completo  
constituit, & eandem ultimò actuat. (2) *Substantialis* dicitur  
modus, ad excludendum modum accidentalem. Nam licet  
aliàs

alias modi entium revocentur ad genera rerum, quorum sunt modi & cum quibus habent realem identitatem, ita, ut modus substantiæ revocetur ad substantiam, & sit saltem substantia incompleta, modus vero accidentis sit accidens & ad illud genus accidentis revocetur in quo fuerit ipsum accidens, cuius est talis modus; tamen & quoad ipsam substantiam, modus alius est *substantialis* seu *essentialis*, qui scilicet ad constitutionem & complementum ipsius substantiæ pertinet: alius verò est *accidentalis*, qui supponit substantiam completè constitutam & illam afficit sub aliquà aliâ ratione (veluti est præsentia Angeli in  $\pi\bar{\delta}$ ) sicut loquitur Svaretz disp. 32. f. 4. n. 15. Jam, quia subsistentia est intrinsecus terminus substantialis naturæ, complens ac constituens suppositum: ideo illa omninò est modus substantialis, non accidentalis. *Præcisè* autem hic modum consideramus, non attendentes, num is separabilis, an verò inseparabilis sit, sed in præcisione ab utroque eundem spectamus.

Cum itaque *modus substantialis*, latius pateat, quam Personalitas: omnis siquidem Personalitas est modus substantialis, sed non omnis modus substantialis est Personalitas: cumque *intrinsecè* Personæ competat, quia per se ordinatur ad constitutionem completæ substantiæ & in intrinsecâ ratione Personæ includitur: cumque *immediatè*, nullo quippe alio interveniente, de Personâ dicatur: id circo *modus substantialis* quam optimè pro conceptu latiori venditari potest.

§. 10. *Conceptus strictior* exhibetur his verbis: quo *Substantia singularis completa intelligens ultimatè subsistentiâ gaudet*. Desumitur itaque hic Conceptus partim à *Materiali*: partim à *Formali*. 1. *Materiale* est *substantia singularis completa intelligens*. (1.) *Substantia* est Personæ materialis quidditas, eò, quod accidentia non per se subsistunt, sed saltem inexistunt, adeoque ad dignitatem Personæ emergere nequeunt. Sit autem hæc substantia (2) *Singularis*, ideo, quia substantiis universalibus, seu secundis, ratio personæ non convenit. Agimus quippe hic loci de *modo reali* qui nobis etiam non cogitan-



cogitantibus existit: universales autem substantiæ, tan-  
 quam universalia, quoad unitatem, extra mentem in natura,  
 nullibi existunt. Unde & illæ de ratione personæ, participa-  
 re non possunt. (3) Oportet hanc substantiam singularem es-  
 se *Completam* ad excludendas ab axioma Personæ, substan-  
 tias incompletas, atq; partes: Illæ enim quia secundum esse  
*subsistentiæ*: hæ verò (partes) quia secundum esse *essentiæ*, uti  
 loquitur B. Scharf, Theor. Transc. p. 1067. ex Svarezio disp.  
 34. f. 4 f. 4. n. 24. sunt incompletæ, meritò personæ titulo de-  
 stituuntur. (4) Requiritur ad communem Personalitatis ra-  
 tionem, ut sit substantia *intelligens*. Idq; fit in oppositione  
 ad suppositum. Hoc quippe materialiter consideratum,  
 etiam est substantia singularis completa: non tamen *intelli-*  
*gens*, sed uti Thomas q. 9. de potentiâ a. 1. loquitur: *Persona*  
*addit mater rem subsistentem incommunicabiliter seu ὑπέστυσιον,*  
*determinatam naturam rationalem.* (voce scil. rationa-  
 lis *παχυλῶς* pro intelligenti acceptâ, uti accipitur ab August.  
 lib. de Spiritu & animâ c. 18. ut & ab Arist. 1. 9. Met. c. 2. sumi  
 videtur.) 2. *Formale est ultimata substantia.* Hic nota  
 (1) hujus Formalis variam *appellationem* (2) Ejusdem ali-  
 qualem *explicationem*. (1.) Formalis ratio Personæ, quam  
 nos diximus esse *ultimatam subsistentiam*, aliàs dicitur (a)  
*Incommunicabilitas subsistendi*, quia Persona partim aliunde  
 participatâ & communicatâ subsistentia gaudere nequit:  
 partim supposito alii communicari non potest. (b) Dicitur  
*Independentia subsistendi* quod nempe non subsistat persona,  
*aliunde acceptâ sed propriâ subsistentiâ.* Unde & persona vo-  
 catur *αὐθὺπαρῆς* & *ἰδιοσύστατος* propriâ personalitate ter-  
 minata substantia. (2) Quoad hujus formalis *explicationem* no-  
 tand. quod per hanc ultimata substantiam, nihil aliud in-  
 sinuetur, quàm perfectissimus subsistendi modus personalis,  
 qui infert *αὐθὺπαρῆζία* seu ultimum subsistendi complemen-  
 tum, vel uti loquitur Svaretz Disp. 34. f. 4. n. 24. *divit deter-*  
*minatam modum existendi per se & sine dependentiâ à sustentante.*

Ne autē circa hanc subsistentiam hallucinemur & pro vero

B

subsi-

*subsistere* alienum accipiamus, diligenter ex Pet. Fonseca l. 5. Met. c. 8. q. 5. l. 4. observetur, nos h. l. τὸ *subsistere* non accipere, Neq; (1) pro *vero esse*, quatenus illud τὸ *ὄν* ὁμοίως opponitur. vid. Arist. l. de Mundo ad Alex. it. B. Sperling in Instit. Phys. p. 887. Hoc enim in termino substantiæ, quoad Materiale jam ante præsupposuimus. Neqve (2) pro *subesse*, quo pacto in ædibus fundamentum, in vino feces, in urinâ sedimentum, hypostasis appellatur: ita namq; plus in definitione quam in definito inferretur & hæc illo esset latior. Neq; (3) pro *esse per se*, prout omnis substantia *subsistere* dicitur Thomas in 1. sent. lib. d. 23. q. 1. art. 5. ad 4. quia hoc spectat ad materiale personæ. Neqve (4) pro *esse per se*, non in alio neqve per modum partis aut formæ: sicuti substantiæ secundæ non subsistunt: quod, etsi sunt in primis per modum formarum, ab iis tamen in esse suo pendent. Hoc enim nondum absolvit quidditatem personæ. Sed (5) pro tali substantia quæ suppositis convenit. Cumqve etiam hæc ratione substantia accipiatur vel *concretivè* pro ipsâ re subsistente & modo subsistendi, quo sensu Romani primitus maluerunt Patrem, Filium & Sp. S. appellare Personas, quam hypostases juxta Concil. Sardicense, teste Theodoro in Ecclesiast. Histor. l. 2. c. 8. vel *abstractivè* pro modo subsistendi prout Orientales Doctores accipiebant, antequam cum Occidentalibus in Synodo Alexandrina, svasu S. Athanasii, convenirent. Vid. Socrates in hist. Eccl. l. 3. c. 4. 5. Histor. Trip. l. 6. c. 12. Nazianz. Orat. 31. in laude Athanasii. Nos hic in posteriori & abstractivo significato, quatenus significat *positivum modum* subsistendi accipimus. Et ne hæc substantia videatur terminabilis aliunde & saltim respectiva, expressè additur, *ultima*. Quo illa *ultima* substantia gaudet. Si enim Persona jam ante ultimâ gaudet substantia, ita, ut perfectissimâ ratione subsistat, quomodo ulterius complementum acquirere, quomodo ab aliâ substantiâ actuari & compleri potest?

PRAE

PRÆCEPT. II.

Persona alia est finita, alia infinita. Illa est modus substantiæ finitæ singularis completæ intelligentis, quo ipsa ultimò subsistit. Hæc verò est modus substantiæ infinitæ singularis completæ intelligentis, quo ipsa ultimò subsistit.

ἐκθ.

Dividimus hîc Personam non æqvivocè, neq; univocè sed analogicè: quia definitio personæ longè eminentiori attributionis modo competit infinitæ, quàm finitæ personæ. Nam in naturâ (1) modus atq; ita etiam Personalitas realiter potest differre ab essentiâ: Verum in naturâ infinita modus & substantia non realiter, sed ratione saltem differre potest: alias enim in substantiam infinitam compositio ex essentiâ & modo subsistendi personali caderet. (2) In substantiâ finitâ essentiâ & modus differunt *prioritate*, non quidem *temporis* sed *naturæ*. Modus quippe semper est posterior eo, cujus est modus. Cæterum in divinâ Essentiâ ejusmodi prioritas propter identitatem Personæ cum essentiâ, poni non potest. Unde Damascenus cap. ult. Dial. Personam Divinam *ἄνευ ἁπλῆς ὑπὸ ἑξῆς* Modum sine imperfectione, sine dependentiâ, sine principio, uti loquitur B. Jac. Martini l. 2. Tribus Eloh. c. 12. vocavit.

PRÆCEPT. III.

Persona est vel ἀσύνθετος seu simplex, vel σύνθετος seu Composita. Illa est modus substantiæ singularis completæ intelligentis, quo ipsa citra unionem cum aliâ natura subsistit. Hæc est modus substantiæ singularis completæ intellectualis, quo subsistentia unius naturæ, sese, vi unionis, communicat alteri.

ἐκθ.

Ratione formalis sui sub diverso statu considerati persona ita dividitur. Vel enim persona statum suum *ordinarium* servat

B 2

servat

fervat & ita manet *ἀσύνθετος*: ut hic homo, Petrus. Vel in alium *accidentarium* statum transfertur; & ita fit *σύνθετος*. Cujus quidem exemplum non ex *natura* sed ex *scriptura* habemus: Interim tamen, ex Principiis rationis non implicat *ἀσύνθετον* Personalem unius naturæ, communicari posse alteri naturæ: tum quia Persona non *absolute* sed *relative* nempe personæ, est incommunicabilis, naturæ autem est communicabilis: tum quia personalitas in substantia finita est separabilis: tum quia *σύνθετον* suppositum, ubi duæ essentia unâ subsistentia ultimata gaudent, habemus: veluti est ferrum ignitum: Aqua sale mixta. Ferrum enim extra unionem cum igne: Aqua extra unionem cum sale, suppositum est simplex, sed si unitur ferrum cum igne, sal cum aqua, fit suppositum compositum, quia ferrum igni, aqua sali suam communicat supposititalitatem: & ita ignis ferri, sal aquæ *ἀσύνθετα* sustentatur atq; subsistit.

## II. SECTIO EROTEMATICA.

### I. Q. Quid Personalitas substantiæ superaddat?

Dissentiunt hic non pauci Philosophi. Alii peccant *indefectu* alii *in excessu*. (1) In defectu peccat (α) Scotus, qui statuit, suppositum creatum nihil rei positivæ addere naturæ singulari, sed solum negationem dependentiæ actualis & aptitudinalis ad aliquod suppositum. Scotus in *dist. 1. q. 1.* & *dist. 6. 1.* & *dist. 6. 1.* & *Quodlibet: 19. art. 3.* Idem sentiunt Scotistæ, Aureolus apud Capreolum in *3. dist. 5.* Gabriel in *3. dist. 1. q. 1.* Occam in *3. d. 1. q. 1.* Marsil. in *3. dist. q. 1. a. 1.* (β) Quidam Patres qui asserunt Personam naturæ superaddere conditiones individuantes, citante eisdem Svarez. *disp. 34. s. 3. n. 2.* (2) In excessu peccant qui docent Personam naturæ addere aliquod accidens, quos Cajetanus & alii recensent. Licet suppositum non includat intrinsecè accidentia, tamen extrinsecè addere illa, scribit, Hervæus *Quodlib. 3. q. 6.*

Nos contra statimus cum Svarez. *Disp. 34. s. 4. n. 33.* & aliis fanis Philosophis, Personam naturæ addere modum positivum. *Dist. autem 1. inter modum positivum & Ens positivum. Personalitas*

Personalitas quidem substantiæ addit modum aliquem, sed non novum Ens, ita ut alia essentia sit substantia alia essentia sit modus; minime: quia hac ratione Personalitas, personam concretè, consideratam efficeret Ens per accidens. 2. D. inter terminum *positivitate* & *strictè* acceptum. Quando id, quod Persona naturæ addit, vocamus modum positivum, accipiuntur positivum latè, pro eo, quod non est purè nihil. Personalitas quippe non nudè fingitur aut pingitur à mente cogitantis, neque purum putum est non-Ens, sed illa etiam me non cogitante substantiæ convenit.

II. Q. *Quomodo Persona à naturâ, cujus est modus distingvatur?*

Resp. D. inter *Personam finitam* & *infinitam*. Quoad illam, differt *realiter*, quia est modus separabilis: Quoad hanc autem, *ratione tantum*, quia Personalitas ab Essentiâ Divinâ est inseparabilis, imò cum eadem *Terminatur*.

Contrarium statuunt Durandus in 1. d. 34. q. 1. & Henricus quod 1. 4. q. 4. docente; naturam & suppositum finitum solâ ratione distingvi ex modo concipiendi nostro, in abstracto, vel in concreto. Sic Thomas 1. q. 3. a. 3. statuit, in Angelicis substantiis personam non differre à naturâ.

III. Q. *An Anima rationalis sit persona?*

Aliis, ut Svarizio Disp. 34. s. 5. n. 30. affirmativa videtur probabilior. Alii simpliciter, quæstionem affirmant, ut Cajet. 1. p. q. 76. a. 1. ad 5. & q. 90. a. 1. Thomas in 1. d. 8. q. 5. a. 2.

Nos verò Negativam amplectimur statuentes, animam rationalem neque separatam, neque unitam esse personam: differt autem cum Fonseca 1. 5. c. 8. q. 5. s. 4. cum B. Jac. Martini in Partit. Met. 1. 2. s. 5. §. 71. ut & cum B. Scharf. Theor. Transc. disp. 2. §. 12. 13. p. 1071. inter subsistentiam quatenus notat negationem dependentiæ à subjecto seu sustentante; & quatenus notat absolutam negationem existendi in alio, etiam per modum partis aut formæ. Priori modo concedimus, posteriori negamus. 2. inter subsistentiam incompletam ex se & intrinsecè: & ex accidente & ratione status. Illo modo, dicit B. J. Mar-

B. 3.

tini,

hini, animæ rationalis subsistentia incōpleta rectè dicitur; hæc  
verò ratione, sicuti partis aquæ subsistentia incōpleta est quan-  
do alteri parti unita est, animæ subsistentia incōpleta non est.  
Conf. Svarez. c. l. n. 59. & 62. Concludimus itaq; cum Max. Rev.  
Dn. D. Calovio ex Met. D. p. 88. & 134. *Anima hominis hæc vel illa  
cum sit partialis & in completa natura, persona non est, utut per  
modum suppositi etiam separatim existat: quandoquidem reti-  
neat naturam illam partialem & dependentem ad unionem, ut  
nempe unita, corpus unà cum illa constituat suppositum & perso-  
nam. Accedit, quod si anima rationalis in statu separationis  
propriè persona est, aut esse persone amittet in unione, aut duæ  
sum erunt persone, in una personâ: quod utrumq; absurdum.*

#### IV. Q. An τὸ intelligens sit formalis ratio Personæ?

Videtur quod sic, quia per hoc & non per aliud Persona à  
supposito differt. Jam verò per quod, quid constituitur &  
ab alio distinguitur, illud est ejus ratio propria. Unde expres-  
sè Goslavius Polonus Photinianus, parte 1. disp. de Persona c.  
10. scribit: *Propria formalis ratio, in ea re consistit, quæ personam  
à supposito discernit & separat. Id autem est intellectus.* Sed

Resp. N. 1. Non statim illud est formalis ratio, per quod  
res ab alia re differt. Quandoquidem sæpe distinctio desu-  
mi solet vel à modo & gradibus: vel ab accidentibus: vel à  
causis externis, vel à subjecto, quemadmodum hic loci, distin-  
ctio Personæ à supposito, desumpta est à subjecto. Superius  
enim τὸ intelligens ad materiale Personæ retulimus. Unde &  
2. Substantia singularis, intelligens dari potest, quæ tamen non  
sit Persona: uti ex Theol. notum est exemplum de Naturâ  
Christi Humana. Concedimus etiam 3. τὸ intelligens sup-  
peditare aliquam distinctionem, verum non essentialem, sed  
accidentalem; non propriam sed communem.

Quapropter formalis ratio Personæ, non est τὸ intelligens,  
sed potius, uti Præc. l. §. 10. ostendimus, *αὐτὴ τὰ ἐξ ἧς* quatenus  
*ad naturam intelligentem est limitata.*

III. SEC.

III. SECTIO AXIOMATICA  
AXIOMA.

I. *Persona est incommunicabilis*

ἐκθ.

Scil. non ἀπλῶς sed κατὰ τι Quandoquidem Personæ non omnis, sed quædam saltem incommunicabilitas asseritur. Hinc illa quidem est incommunicabilis (1) quoad communicationem κατὰ μέθεξιν seu formalem, ad plura essentialiter inferiora, quia persona est singularis substantia (2) quoad communicat: realem, ad aliud suppositum & personam constituendam, quia Quiditas personæ est ultimata subsistentia: quomodo autem persona potest ultimato subsistere & tamen aliunde communicatam participare subsistentiam? Interim tamen Personæ competit (α) communicatio κατὰ συνδύασιν seu comun. realis per unionem, quæ persona non terminatur ulterius, sed aliam naturam terminat & complet. (β) communicatio intrinseca intentionalis in genere causæ finalis: item (γ) extrinseca realis effectiva. De quibus omnibus prolixè discurrentem, Vid. Svarez, disp. 34. Met. f. 5. n. 54. seqq.

II. *Persona & natura non componunt realiter.*

ἐκθ.

Ratio est, quia Persona est modus rei. Dist. autem inter Personam in præcisione spectatam & determinatè acceptam. Axioma priori modo est intelligendum.

III. *Rectius Persona in abstracto quàm in concreto describitur.*

ἐκθ.

Ratio est (1) quia Persona quoad esse suum est modus aliquis. Jam verò in modis & gradibus describendis abstractivæ concretivis præferendæ sunt descriptiones. 2. quia abstractivâ Personæ definitione, multò feliciùs quàm concretivâ Φλυαρίαις adversariorum obviam iri potest. Hinc facile iudicium fieri potest, tum de Boethianâ in limine hujus Disp. positâ definitione, tum de Vulgatâ illa Personæ descriptione,  
qua

qua

quã persona describitur, quod sit subsistens vivum, individuũ,  
intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio: scil.  
quia modo adductæ descriptiones, partim in concreto fiunt;  
partim omittenda ponunt, partim ponenda omittunt; par-  
tim etiam obscuritate laborant: ideo iis nos, non  
ad modum tutò contra adversarios uti posse.

Sed pro his & omnibus bonis &  
donis,

**SIT BENEDICTUS DOMINUS!**

---

**M**ox nodos Logicæ refecas Doctissime Møller,  
Mox quoq; Personæ dogma tuere probe,  
Hinc Docti solvent Tibi præmia digna laborum,  
Et passim crescet fama decusq; tuum.  
Omnibus his adsit, sancti Clementia Jovæ,  
Cunctaq; proficiant tum Tibi, tumq; Tuis!

Ita  
gratulabundus suo MÖLLERO  
acclamat.

*PRÆSES,*

---

**N**on Ceres Mollere diva, cum molis, sed incluta  
Præses est Tibi Minerva. Quid farinam nominem?  
Hoc, quod exponis, laborans disputax negotium:  
Nempe, ceu *Persona*, luci ferre *Personam* studes,  
Nectit en Tibi corollam Virgo *Daphne*. Gratulor.

Eruditissimo DN. Respondenti, Philosophie  
Candidato, Amico & Conterraneo meo  
dilectissimo deproperabat

**CASPARUS Schön/**  
Eperiensis Hungarus.



*Coll. diss. A. 126, unil. 40*